DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CYNANCHE MALIGNA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS MACLEAN,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

"*Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.*"

VIRGIL.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1806.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

JACOBO RUSSELL,

CHIRURGIÆ CLINICÆ IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI;

OMNI DOCTRINA, ET RECONDITA ET HUMANIORE,

INSIGNITE ERUDITO;

ARTIS SANANDI IMPRIMIS, DISCIPLINARUMQUE

SOCIARUM PERITISSIMO;

QUO AUSPICE ET PRÆCEPTORE,

MEDICINÆ RUDIMENTA ET INCUNABULA DIDICIT;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EA, QUA DECET, OBSERVANTIA,

D. D. CQUE

ROBERTUS MACLEAN.

NECNON,

VIRO PROBO,

CAROLO STUART, M. D.

SCIENTIA LATE CULTA

CONSPICUO;

VIRTUTIBUS, ATQUE MORUM URBANITATE,

ORNATO;

OB MONITA ET CONSILIA IN STUDIIS

BENIGNE OBLATA;

HOCCE OPUSCULUM,

UT ANIMUM GRATIARUM MEMOREM OSTENDAT,

SACRUM

VULT

ROBERTUS MACLEAN.

Dr. J. C. Ogilvie

with Compts. & best wishes

from his much obliged frien[d]

The Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CYNANCHE MALIGNA.

MORBI genus humanum permulti et graves, quorum alii præ cæteris ætati cuidam, alii propè omni pariter pestiferi, miserè premunt. Ex iis, quos ævo lactanti et juventuti valdè exitiosos essenotârunt medici, quibusque scientia eorum aliquid attulit auxilii, hic, de quo pauca nunc dicere conabor, attentionem plurium jure sibi postulavit.

FOTHERGILLIUS eos inter summâ laude recensetur, qui primus, diligentiâ nunquam non imitandâ, naturam Cynanchês Malignæ perscrutatus est, suisque scriptis documentum observationis sagacissimæ in posteros tradidit.

Hîc animadvertere licet, impuberes non solos contagio, quod semper Cynanchen Malignam longè latèque diffundit, obnoxios esse; quoniam ætatem provectam, interdum senectutem, afficit. At hos, quàm illos, minùs periclitari, secùs ac in rubeola et variola, clades infantum, quum hic morbus epidemicè grassatus est, sat superque ostendit. Puellas promptiùs quàm pueros, fœminas quàm viros, debiles denique quàm robustos, hoc contagium adoritur.

Morbus sic definitur a clar. CULLENO, "*Cy-*
"*nanche Maligna*—tonsillas et membranam
"faucium mucosam afficiens tumore, rubo-
"re, et crustis mucosis coloris albescentis
"vel cineritii, serpentibus, et ulcera tegen-
"tibus;

"tibus; cum febre typhode et exanthema-
"tis *."

DE MORBI HISTORIA.

Incipit hic morbus signis pyrexiæ solitis. Die, quo exoritur, ægrotantes animi solicitudo, corporis lassitudo et languor, anxietas gravis, capitis dolor, appetitûs cibi defectus, cum horrore, invicem vel unà simùlque vexant. Horrore peracto, sequitur calor corporis insigniter pungens, pulsuum celeritas aucta, nausea et vomitus. Vespere, malum ingravescit; nam inquietudo pro somno ægrum, jam temporis de siti magna sensuque caloris molesto conquerentem, cruciat. Eodem ferè tempore collum paululùm rigescit, fauces tument et colore vivido splendent; nec raro dolor Eustachianæ tubæ meatum, non secùs ac in cynanche

* Synops. Nosol. Method. gen. x. spec. 2.

cynanche tonsillari, persequitur, auremque angit. Crustæ in uvula, tonsillis, arcuque per has partes formato, illicò apparent, et ulcera recondita tegunt: his decedentibus, ulcera observantur. Lingua præter solitum ad margines rubescit, sed ad mediam ejus partem fusca est: ad apicem nonnihil madida, radicem versus nigrescere a sanie, mox memoranda, observatur.

Die plerumque secundo, color ruberrimus, illum in erysipelate referens, qui ex pustulis minimis constat, faciem, collum, pectus, brachia, manusque, cum tumore et prurigine, infestat. Pustulæ minutæ coalescere solent, interdum autem, colore cutis interposito, discretæ sunt. Harum super cutem eruptio, modò in corporis partes imas, modò in supremas partes, profectò, in perpaucis exemplis, solummodò in carpi dorsa, pervenit *.

Hoc

* Heberden. Comment. de Morb. Hist. et Curat.

Hoc tempore, nausea vomitusque decedunt, nec sæpè post primum diem, molestiam ægroto facessunt.

Inter calorem pyrexia, sub noctem aucta, progreditur. Arteriarum pulsus parvi, frequentes debilesque, sed aliquando fortes et duri, micant. Corporis calor eò usque intenditur ut hydrargyrum thermometri Fahrenheitiani ad gradum centesimum quintum, sextum, necnon, CURREIO auctore, nonum, elevet.

Delirium, modò nocte primâ, modò secundâ, sæpè minùs periculosum quàm in aliis morbis, ægrum corripit. In hoc morbo, secundum FOTHERGILLIUM, delirium est sui generis ; quippè æger quæstioni propositæ promptè respondet, enititurque serenus videri, cæterùm verbis disjunctis semet alloquitur. Coma alios sub noctem adoritur, quod per aliquot dies interdum perstat, etiamsi signa deteriora mitescunt. Primâ luce sudor lenis elicitur,

elicitur, qui ægros languidos hebetesque facit, febremque nihil levat *.

Mucus a glandulis mucosis narium fauciumque secretus, vitiatur; quia, pro humore miti qui in sanis manare, partesque oblinere, solet, nunc acris ex ore naribusque destillat, labium superius, nonnunquam malam externam super quam reclinat æger, excorians; et in alvum receptus, diarrhœam molestam, sæpè lethalem, vel profluvium saniei acris ab intestinorum exulceratione, anum, partesque vicinas, exasperans, inducit. Hic humor acris a vasis lymphaticis sæpè sorbetur: inde tumores in glandulis colli concatenatis se produnt, qui brevi decedunt; aliàs verò in suppurationem demùm abeunt, aliquando miserum strangulant. Ni hæc sanies e faucibus detergatur, quæ aëris libero aditui obstet, vocis

* Vide FOTHERGILL. "Account of the Putrid "Sore Throat."

vocis raucitatem facit, vel loquelam admodum impedit.

Ægri interdum laborant ab organis quæ respirationi inserviunt, nempè aspera arteria vel pulmonibus, inflammatis; et mortem præcocem causæ eædem, ac in cynanche tracheali vel pneumonia, iis afferunt.

Glandulæ parotides interdum tument, senescente præcipuè morbo; ast modum tumoris interni parùm demonstrant, quippè qui sæpè tumefactæ supersunt, quum omnis causa metûs finitur, simul atque morbo penitùs medetur.

Alvus sæpè pigra est puberibus, et interdum ævo provectis; nisi, e contrà, diarrhœa eos vexat. Urinæ facies raró mutatur: aliquando rubet, aliàs, nonnihil parca est, summaque molestiâ redditur.

Sanguinis

Sanguinis profusio periculosa e naribus, faucibus, vel aure, vase exiguo a sanie eroso, nonnunquam incidit ; in nonnullis exemplis ægroti vires inopinatò exhausit, e vivisque eripuit.

Mensium fluxus in fœminis, tempore insolito, interdum prorumpit ; attamen nisi justo magis copiosus fuerit, parum periculi imminet.

Dolores artuum, rheumatismum referentes, aliquos vexâsse HEBERDENUS narrat ; autem verisimile est fortuitos, certè lenes, fuisse.

Omnia signa, quæ suprà protuli, non semper eidem ægro accidunt ; et sæpè morbus omninò lenis fit, qui vix attentionem medici meretur. Quod in exemplis lenioribus interdum nullus faucium affectus eruptionem super cutem comitatur, vel tam levis ut inde ad mali periculum nihil accideret. Aliàs, scarlatina vix stipare videtur faucium affectum,

tum; tum notæ sæpè graves fiunt. Ambarum denique signa æquè molesta, æquè periculosa, aliquando autem levia, vix notatu digna, concurrere.

Indicia, ab ancipiti hoc morbo ægrum non periturum, die tertio, quarto, vel quinto, a morbo incepto, sese ostendunt. Mutatio subit malo salutaris. Ulcerum vestigia in faucibus paulatim evanescunt, vel promptè sanari solent. Pyrexia, ab initio usque morbi temperata, putredinique parùm proclivis, eruptione super cutem efflorescente, quamprimùm levatur. Arteriarum ictus adhuc frequentes, parvi, debilesque, jam molliores, tardiores, validiores, magisque æquales evadunt. Si non omninò decedat delirium, saltem minùs fit periculosum. Cutis vitium post tres vel quatuor dies, certè ante septimum, in squamulas furfuraceas cum sudore grato lenique, abit. Somnus suavis dein ægro fesso obrepit. Cibi appetitus redit; attamen minimè vorax,

contrà ac iis accidit a febre convalescentibus, etiamsi vires eorum æquè frangantur *.

In exemplis inauspicatis, profundiùs, longè latèque, ulcera faucium serpunt, citòque in putredinem ruunt. Nam primò livescunt, dein gangræna fauces occupat, quæ facit ut spiritus fœdissimè oleat: et partes abditæ, gingivæ præcipuè, materie nigrâ obsidentur. Morbo graviore tum demùm urgente, respiratio difficilis, dolor capitis acerbus, anxietas in corpore intimo, summa debilitas, delirium vel coma perstans, miserum vehementer turbant. Sitem non sentiens, bibere recusat, etiamsi deglutitio nequaquam impediatur. Anasarca collum circumdat; tumorque sæpè grandis exoritur, qui, venas sanguinem ex capite reducentes ad cor comprimens, sæpè miserum jugulat. Arteriarum

* SIMS. Vide "Memoirs of London Medical Society, vol. i."

riarum pulsus debiles, parvi, intervallisque inæqualibus, digitum explorantem feriunt. In exemplis quàm plurimis, hic morbus ægrum citò confectum, spatio viginti quatuor horarum, saltem sæpè triginta, occidit. Tertio fermè die, plerumque intra septimum, signa deteriora, quæ suprà exposui, vires superstites vitæ vincunt; æger convulsionibus forsitan convellitur, altè stupet, anhelitum vix tandem trahit, et tunc demùm his signis mors ipsa supervenit.

Notandum est, quum hic morbus non primo impetu lethalis fuerit, ægros sæpè ipsius effectibus succubuisse. Quia debilitate, languore, laboris impatientiâ, aliisque malis diuturnis, conflictati, longè aliter se habent, atque anteà consuêrunt. Ansarcâ sæpè, nonnunquam hydrocephalo, vexati, tam exhausti his doloribus infandis evadunt, ut spes medici affiniumque infaustè fefellant. Macies, et aliquando phthisis pulmonum, eos ei morbo proclives, lentâ febre, demùm conficit.

Signis

Signis cynanchês malignæ consideratis, ab eadem contagione atque scarlatina inductam, et omninò eundem esse morbum, hactenus existimavi. Medicorum experientia, dum longè latèque grassata est, in his scarlatinæ signis, in illis cynanchês, luculenter proditis, et sæpè lethalibus, hanc opinionem sat superque coarguit *.

Quidam medicorum percontantur, utrumne huic morbo aliquis, contagio expositus, tantummodò semel seu sæpiùs opportunus evadit. Quamobrem necessarium est ut ratiocinationes recusent, justèque ad vocem experientiæ auscultent. Testimonia de hac re auctorum idoneorum, eos aliquando, sed rarò, qui priùs hoc morbo laborâre, eodem iterum affici, docent †.

DE

* Audi Prælect. Acad. Prof. GREGORII.
† Audi easdem Prælect.

DE CAUSIS REMOTIS.


Satis constat, hunc morbum contagione speciali semper diffundi: inutile verò, imo supervacaneum, foret, aliquid de natura et origine hujus contagionis conjicere; utpotè usque adhuc sub judice lis est, de his rebus et de modo quo corpus intret.

Causâ excitante ideò stabilitâ, possum tractare perpaucis verbis de causis quibus contagionis potestati corpus magis opportunum evadit.

Experientia medicos docuit, imbecillitatem corpora magis obnoxia reddere. Quocirca omnia quæ corpus infirmant, pristinamque valetudinem adimunt, exempli causâ, exinanitiones profusæ, cibus vel parcus vel qui cor-

pus

pus parùm alit, exercitatio remissior, labor ætati parùm idoneus, Venus immodicè culta, affectus animi contristantes, morbi priores, inter causas prædisponentes enumerantur. Talibus causis igitur infirmati, difficiliùs morbi impetum, quàm vegeti, florentes, roboreque gavisi, effugiunt. Ab eadem ferè ratione, sexum muliebrem et pueros, ut suprà notavi, sæpè hic morbus invadit, quum, rebus alioquin iisdem, mares prætergreditur.



DE PROGNOSI.

Eventum Cynanchês Malignæ, ex historia suprà prolata, probè præsagire possumus. Quia in exemplis adversis, pyrexia magis ac magis ingravescit, cum summa debilitate; pulsus frequentes, parvi, debiles, inæqualesque fiunt; coma vel delirium fit pertinax;

caput

caput vehementer dolet; fauces magnoperè tument; ulcera livescunt, cum spiritûs fœtore; eruptio super cutem vel nulla est, vel maxima et profundè rubra; denique, urina et stercus ab ægro inscio redduntur.

Signa feliciora facilè percipimus. Quia cùm ulcera minùs profunda sunt, non latè serpunt, nec livescunt; cùm pyrexia levis est, unà cum pulsibus arteriarum mollibus, fortibus et æqualibus; cùm debilitas haud magna adest; quando denique eruptio super cutem modica efflorescit, nullum periculum imminere judicamus.

DE DIAGNOSI.

Ineunte Cynanche Malignâ, plerumque promptè a *Cynanche Tonsillari* dignoscitur; et reverà oportet medicos semper eos distinguere. Enim in hoc morbo signa, quæ febrem

brem Typhum denotant, satis manifestè se produnt. Arteriarum pulsus parvi, frequentes, debiles, plerumque micant, spiritus nonnunquam ægrè trahitur, devoratio non multùm impeditur, crustæ in faucibus sunt coloris cinerii, si denique exinanitiones inconsultè adhibeantur, morbus ingravescit eò usque ut vix ac ne vix quidem ægrotus servetur, sed mox fortassè juguletur. In Cynanche Tonsillari, e contrà, febris stipatur notis Synochæ ; arteriæ frequentes, validæ, duræque pulsant ; respiratio rariùs difficilis est ; deglutitio semper molesta est, et æger de dolore conqueritur ; fauces rubore vivido splendent ; postremò, hic morbus exinanitiones optimè tolerat, quippè cui penitùs his medetur. Etiamsi ulcuscula in Cynanche Tonsillari appareant, tamen certior fit medicus de mali natura, conspectu attento, signisque aliis malo propriis.

Cynanche Maligna pro *Rubeola* habita, rarissimus error fuit. Nam hic morbus cum febre

febre synocha signisque catarrhi, nunquam non ingreditur. At res in morbo, de quo disserimus, aliter se habere suprà explicavi. Præterea, rubeolæ super cutem eruptio die quarto, vel paulò seriùs, colore cutis interposito, patet, et nonnihil eminet: Sed efflorescentia Cynanchês Malignæ secundo fermè die, minùs eminens, sese ostendere solet, totamque ferè cutem occupat.

DE CONSILIIS MEDENDI.

Pauca de consiliis medendi nunc dicere propono. Consilia sunt,

1mò, Morbum incipientem discutere. Si hac spe fallamur,

2dò, Signa inflammationis temperare:

3tiò, Debilitatis signis occurrere:

4tò, Signa, quæ, morbo decedente, superveniunt, tollere.

1mò. Ad primùm consilium consequendum, remediis vomitoriis, vel aquâ frigidâ corpori nudato affusâ, utendum est.

Remedia vomitoria, ineunte pyrexiâ, adhibita, nonnunquam morbum prosperè finiunt; sed iis minùs fidendum est, quàm remedio mox notando.

Aquam frigidam corpori nudato *affusam*, consilio hunc morbum abscindendi, clar. GERARDUS primùm tentavit, et posteà clar. CURREIUS et GREGORIUS; qui, effectibus diligenter indagatis, observationeque aliorum medicorum comprobatis, normas utiles constituerunt, quoad in-tempus modumque applicationis spectat.

Post morbi aggresum, certior fit medicus de mali natura, quum corporis horrorem, calor auctus, pulsuum celeritas aucta, signaque alia

cynanchês

cynanchês malignæ excipiunt; tunc felicissimè adhibetur lavatio frigida. Medico seriùs vocato, minore spe morbum vincendi, tamen gratâ levatione ægritudinis, usurpatur. Notandum est effectus ejus breviùs, quàm in febre typho, perstare; nam spatio horarum duarum, interdum etiam unius, calor pulsuumque velocitas redeunt; tunc iteranda est decies, vel etiam duodecies, spatio viginti quatuor horarum. Nonnihil languoris et debilitatis inducit; brevi calorem pulsuumque frequentiam minuit, ægri vires auget, somnosque leves conciliat *.

2dò. Ad consilium secundum peragendum, scilicet, signa inflammationis temperare, si primâ spe fallamur, *sanguis mittendus* est: quoniam verò signa inflammationis non solent esse violenta, rarò necessarium est sanguinem detrahere:

* "Medical Reports on Effects of Water," &c. vol. ii.

detrahere: neque periculo caret hæc exinanitio, in morbo cui summa debilitas sæpè obrepit. Si autem malum juvenem vegetum adoritur, cum signis magnæ inflammationis atque impetu magno sanguinis caput versus, sanguinem e brachio mittere oportet. Uncias solummodò paucas semel detrahere, neque hoc ferè unquam repetere, debemus.

3tiò. Pyrexia, quæ Cynanchen malignam pergentem comitatur, est malignioris generis proclivitatisque septicæ; idcircò remediis stimulantibus et roborantibus, quæ tantùm prosunt in febre typho, in qua vires adeò deficiunt, etiam in hoc morbo, ut debilitatis periculum prævertamus, fidendum est. Ex remediis stimulantibus, *vinum* est longè utilissimum et efficacissimum, ad præcavendam vel corrigendam ulcerum in faucibus putredinem. Quandocunque igitur notæ debilitatis sese ostendunt, iis utendum est. Juvat memorâsse ne plus vini justo urgeatur; nam aliquando parentes incauti hoc nimiâ copiâ præbent infantibus,

fantibus, quò fit ut ebrii, et inde perquam imbecilli, evadant, simulque febris ingravescit et penè mors in propinquo est *.

Cinchona officinalis virtutibus roborantibus magnoperè valet; quas propter pollicetur commodâ felicissimâ, præcipuè quum signa summæ debilitatis malum ingravescere, maximumque periculum instare, ostendunt. Plurimi hoc remedio utuntur, unà cum vino, dosibus sæpè repetitis, secundum ætatem viresque ægroti.

Remedia cathartica hîc recensenda sunt, scilicet, quæ sæpè debilitati occurrunt. Clar. HUXHAMUS, sub finem cynanchês malignæ alvum purgare suadet; quia per totum ejus cursum alvus frequentissimè tarda observatur, ut suprà dixi, et catharticis sæpè repetitis solùm movenda est †. Cel. HAMILTONUS nuper

* SIMS.

† "In general," inquit, "after a purge or two, "the

nuper monuit, hæc remedia interdum morbum discutere, præsertim quum alvus admodum pigra est, et stercus plurimum, nigrum, viride, et fœtidissimum, intestina gravat et irritat. Tamen cavendum est ne alvus plùs cieatur, quàm oporteat ut ab tali onere levetur, et ad sua sana munera excitetur: quià alvus nimis fusa valdè periculosa est †.

Hîc quoque convenit pauca dicere, dę regimine; et de remediis ad fauces ipsas purgandas.

Regimen certè haud levis momenti est; quippè

" the sick soon recovered a keen appetite, strength, " and spirits." *Dissertation on Malignant Ulcerous Sore-Throat*, p. 295.

† " Observations on the Utility and Administra- " tion of Purgative Medicines" in nonnullis morbis.

pè hic morbus aliquando nullis remediis eget, præter diætam et regimen. Æger in conclavi amplo decumbere debet; et aquam frigidam cum acidis commistam bibere, vel cerevisiam tenuem: mens hilaris et læta, quantùm fieri possit, servanda est. Munditiæ et ventilatio maximè colendæ sunt.

Ad *levandam faucium internarum inflammationem*, hirudines feliciter applicantur ad fauces externas: eodem consilio, remedia epispastica utilia sunt, quum inflammatio tumorque maximè increscunt. Medici gargarismata antiseptica præcipiunt; veluti vinum aquâ commistum; infusum rosæ Gallicæ; vel acidum sulphuricum, muriaticum et oxymuriaticum, plurimâ aquâ diluta, et plura istiusmodi: alii, stimulantia, velut fructum capsici annui, cum aqua: his et talibus fauces diligenter lavandæ sunt.

4tò. Ad signa tollenda, et novos morbos qui huic supervenire solent, anasarcam præsertim,

sertim, diæta nutriens esse debet, et exercitatio modica, viribus convalescentis accommodata. Anasarca lenioribus medicamentis plerumque tollitur, diureticis imprimis, ut supertartrite potassæ, radice scillæ maritimæ, et digitali purpureâ: interdum verò catharticis eget; ut submuriate hydrargyri, pulvere convolvuli jalapæ, et similibus: interdum etiam prodest sudorem leniter ciere balneo et mitioribus medicamentis diaphoreticis, salinis præcipuè, et opiatis.

His demùm et similibus auxiliis, et ab infirmitate, et ab anasarca, quæ sæpè diu manet post cynanchen malignam, ægri facilè convalescere solent.

FINIS.